



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1647

§. 8. Imaginationem multa posse in hominum formas, varijs exemplis ostenditur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

gemino vitello pariebat. Vitelli igitur geminatio, & foetus duplicavit.

§. VIII.

Imaginationem multa posse in hominum formas, varijs exemplis ostenditur.

Habet & curiositas, & vis imaginandi parentum tales fructus, quæ absurdas peregrinasque, quas mente voluit, formas foetui imprimit. Hinc maculae ex utero matris agnatæ; hinc auidè desideratorum fructuum effigies partibus adhærescunt. Si cetera exempla deessent, abundè id patefecisset Iacob, in grege maculoso, per virgas variatas, & non variatas procurando. Quem imitantur, qui equas diversicoloribus tegumentis insternunt, cum equi admittuntur. Plerumq; enim progenies in eiusmodi colores degenerat, cuiuscemodi progignentium vel imaginatio apprehendit, vel oculi etiam intuentur. Sed & Avicenna refert, gallinam, quæ dum ovis incubaret, milui aspectu perterrita fuit, pullos miluino capite exclusisse. Plinij verba sunt: *Similitudinum quidem in mente reputatio est: in qua credantur multa fortuita pollere, visus, auditus, memoriaq;.* *Haustra imagines sub ipso conceptu, cogitatio*

Auicena.
lib. 5 de
animal.
Lege Galeni
lib. de Theriaca
c. 14.
Plin. l. 7.
cap. 12.

Cogitatio etiam utriuslibet animo subito transuo-
lans effingere similitudinem aut miscere existi-
matur. Ideoq; plures in homine, quam in ce-
teris animantibus differentia: quoniam velo-
citas cogitationum, animiq; celeritas, & ingenij
varietas multiformes notas imprimit: cum
ceteris animantibus immobiles sint animi, &
similes omnibus singulisq; in suo cuiusq; gene-
re. Longè verò plura eiusmodi, in femi-
nis accidunt, quæ curiosiores, & in omnè
affectum proniores esse confueverunt.
Hinc multis curiosus matris intuitus un-
gulas, aut cornua caprarum addidit, & pro-
pmodum etiam Actæones fecit: multis le-
porinum ac bifidum os dedit; quibusdam
etiam fulmineum dentem, velut apris, in
palatum inseruit. Persina Charicliæ filia
regis Æthiopiæ mater, aspecta statua An-
dromedæ, prope torum genitalem collo-
cata, non sine adulterij suspicione, albam
ex Æthiope prolem edidit. Natus fertur
Martini IV. Pontificatu, ex illustri femi-
na, Pontificis pernecessaria, puer villosus,
& in speciem vrsi unguiculis armatus.
Quo monstrifico partu permotus Ponti-
fex, omnes vrsorum imagines (Vrsinorum
insignia) quæ fortè in eius domo fuerunt,

Heliod.
de rebus
Æthio-
piæ lib. 18

iussit deleri: manifesto argumento receptæ ab eo persuasionis, quales in conceptu hauriantur species, tales in partu sæpius representari. Calumniosè hanc historiam Ioannes Balæus, Thomas Coperus, & alij quidam hæreticè maledici, in Nicolaum III. & hunc etiam deinde ipsum Martinum IV. torquent: quam vti omino falsam esse posse scio; ita, licet vera sit, vti esse potest, certus sum à viperinis his linguis venenari: quæ pensi nihil habent mentiri, quando illis iocus est calumniari. Alia mater apud Lauinæ Lemnium, monstrum enixa est, quod, post primum lucis intuitum, conclauæ stridoribus impleuit, atque vltro citroq; discurret, latebrasque quæsivit, dignas principe tenebrarum. Quid aliud meruisset Orci laruis gauisa, quàm Stygij patris characterem? Qualem oculis figuram vidit, talem ventre concepit. Nihil à natura alienum est, si strabo generet strabonem.

Sabell.
l. 7. tit. 9
Latin
Lemn. l. 1.
c. 8 de oc-
cult. nat.
mirac.

§. IX.

Matres aspectu partum afficientes.

Empedoclis scitum est, imaginem, quæ animo mulieris, in ipso concipiendi articulo, occurrit, tantum habere virium in
eum